



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput III. Primum Christiani hominis officium, esst amorem suum rectè
ordinare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

gaciter feligens. Sed hunc amorem, non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni. Et l. de grat. Christ. c. 25. Ut generaliter breviter que complectar quam de virtute habeam notionem... virtus est charitas, quâ id quod diligendum est, diligitur.

CAPUT III.

Primum Christiani hominis officium, est amorem suum rectè ordinare.

- 12 **C**onstat ex dictis capite præcedenti: ex recto quippe amoris ordine, pendet rectus ordo ceterorum humanorum affectuum, affectuumque. Si enim ordo est in amore, affectus omnes ordinati sunt; si ordo non est in amore, in ipsis quoque nullus ordo, sed perversitas & perturbatio est, ut sapienter advertit Emin. Cardinalis Bona loco supra relato.

CAPUT IV.

Prima proinde Theologi Moralis cura esse debet, sanam & christianam de Dei creaturarumque amore doctrinam tradere.

- 13 **S**equitur quoque ex dictis capite præcedenti: si enim primum Christiani hominis officium, vitæque christianæ fundamentum, est amorem suum rectè ordinare, prima & fundamentalis Christiani Doctores cura esse debet, docere rectum amoris ordinem. A christiana namque vitæ fundamento Moralem Christianam auspiciari debet; indeque suos de doctrina christiana libros auspiciatus est Augustinus, ab ordine utique amoris.
- 14 **E**t idè Moralem nostram, seu Sanctorum Ethicam, Augustini exemplo, nos quoque auspicamur, non solum ob rationem proximè allatam, sed & ut in ipso limine præscindamus radicem perniciosarum, scandalosarumque opinionum, quas Ecclesia per SS. Pontifices Alexandrum VII. & Innocentium XI. meritissimè proscripsit. Quarum Authores in Conclusiones christiana vitæ adèd relaxativas non abiissent, si Augustini, aliorumque passim Sanctorum, de ordinato Dei creaturarumque amore, principiis instruissent. Si enim recessus à doctrina Sanctorum, radix est tot laxiorum, scandalosarum perniciosarumque opinionum, ut Prolegomeno I. c. 6. à nobis est demonstratum; id maximè verum est de recessu à fundamentali ipsorum, de ordinato Dei, creaturarumque amore, doctrinâ. Quemadmodum enim ordo amoris, fons est, fundamentumque totius bonæ moralitatis; sic sana christianaque Sanctorum de amoris ordine doctrina, fons est fundamentumque totius Moralis Christianæ. Quod fundamentum ne ipsa quidem divina Scriptura aliter tradidit, nisi præcipiendo charitatem, culpandoque cupiditatem; & sic informando mores hominum, prout Augustinum attestantem supra audivimus. Enimverò

si radix omnium bonorum est charitas, & radix omnium malorum cupiditas, prout ex eadem divina Scriptura sancti Doctores tradunt: radix omnis sanæ de moribus doctrinæ ea est quæ ædificat charitatem, destruitque cupiditatem.

Atque hinc doctrina, quæ vel destruendo, vel plus æquo minuendo obligationem charitatis, regnum amplificat cupiditatis, radix est totius Moralis laxioris; indeque patefactus est aditus ad tot illas propositiones, quas Ecclesia damnavit, velut christiana vitæ nimium relaxativas; animarumque perniciem inferentes; eo quòd utique minùs quàm oportet faverent charitati, nimium cupiditati, adverterenturque doctrinæ Sanctorum de recto amoris ordine, uti perspicuum est 1°. in ea quæ usum permittit opinionis, quantumvis tenuiter probabilis pro carnali libertate (adèdque pro cupiditate) contra probabiliorem pro lege & charitate. 2°. In ea quæ Judici permittit ferre sententiam pro amico, juxta opinionem minùs probabilem. 3°. In ea quæ à mortali excusat semel in vita dumtaxat elicentem actum dilectionis Dei, vel quæ ad eum elicendum ne singulis quidem quinquenniis obligat, vel solum dum non est alia justificationis via. 4°. In ea quæ esum, potum, conjugii que opus permittit ob solam voluptatem cibi, vel potus, vel concubitus. 5°. In ea quæ permanere permittit in proxima peccati mortalis occasione, ad vitandum detrimentum aliquod, vel incommodum temporale. 6°. In ea quæ excusat gaudium, & desiderium inefficax mortis proximi, etiam patris, ob temporale emolumentum. 7°. In ea quæ in tantum amare permittit sæculum, ut ab elemosinæ de superfluis obligatione excuset reservantem pecunias, statui prætenti superfluas, ad statum altiorem per eas comparandum. 8°. In tot aliis excusantibus furta, usuras, simonias, homicidia, duella, innumeraque ejusmodi plus æquo faventia cupiditati, quarum proluxa specimina habes Prolegomeno I. c. 2. specimina certè non tam sapientia Ethicæ Christianam, quàm Gentilem, imò quàm honestior in plerisque fuit Ethica Philosophorum Gentilium; specimina, inquam, opinionum, quarum Authores Dei leges considerant velut odiosas, easque, ut tales, in favorem cupiditatis extenuant, atque ab humeris hominum excutiant, vel excutere nituntur.

Qui certè ab ejusmodi opinionibus haud dubiè abstinuissent, si deposito omni affectu pruriendi auribus, magis seridè perpendissent, qualem Deo, qualem proximo charitatem, juxta divina Oracula, Sanctorumque documenta, imò & juxta rectam rationem homo debeat, præsertim Christianus, & quomodò liber esse debeat à sæcularibus desideriis, nec creaturam ullam amare finaliter propter se, sed propter Deum, mansoriosque rerum omnium mortalium amores abnegare, ut soli Deo, tamquam Creatori, Redemptori ac fini suo, per amorem inhæreat.